



M. l. 286^a
nicht verheiratet
nicht PK

1) Rinowius, Joh.

nebst 21 - 40)

(No. 31 enthält
allein 20 Dissertationen)

2 mit Widmungen
an Ludolph

THESES MEDICAE

DE OSSIVM HVMANI
CORPORIS NATVRA EO=
rundemq; articulatione: atq; affectu gra=
uissimo, Arthritide appellato:

*Propositæ in inçlyta Academia Ar=
gentoratenfium*

A M. l. 286a

MELCHIORE SEBIZIO SILESIO,
*Medicinæ Doctore, & in Academia Professore, ac
Poliatro:*

EAS DISPUTANDO TVEBITVR DO=
ctissimus Iuuenis Ioannes Sebaldus Kobenhaupt
*Argentoratensis, Philosophiæ M. & Medicinæ
Candidatus.*

XVII. Calend. Nouemb: Anno Domini
j 5 8 9.

ARGENTINÆ

Excudebat Carolus Kieffer.



ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, DO-
mino Ioanni Georgio, Marchioni Brandebur-
gico, Borussiae, Stetini, Pomeraniae, Cassubio-
rum & Vandalorum, nec non Grosnae in Silesia
Duci, Burggraui Norimbergensi, Prin-
cipi Rugiae, &c. Domino suo
Clementissimo.



IN more hoc positum, longoq; obser-
uatum haectenus vsu fuit, vt in alijs, ita
hac quoq; Argentoratensi Academia,
Princeps Illustrissime, Domine Clemē-
tiss: vt Professores ex praelectionibus
& scholis suis, aliquas & quidem sele-
ctas materias depromptas, certisq; capitibus compre-
hensas, exercitationis gratia, ad disquirendum disseren-
dumq; publicè proponant. Quae quidem consuetudo
quot quantasq; secum utilitates adferat, res ipsa earun-
demq; magistra experientia abundè testatur: ideoq; me
impulit: vt, cum in Medendi scientia atq; facultate doc-
cendi mihi demandatae sint partes, superiore proxima
hyeme de Ossibus traditam doctrinam, aliquot thesibus
includere, & ad disputandū offerre constituerim. Quo-
niam etiam eiusmodi Osteologia ipsius articulorū com-
positionis ratio continetur, eaq; laborante affectus quis-
dam praeter naturam Arthritis appellatus, euenire solet:
haud me alienum à proposito facturum putavi, si cum hac
de ossibus materia & istius morbi naturam, causas, signa
tam diagnostica quàm prognostica, deniq; curandi ratio-

nem, generali methodo conceptam, coniungerem,

T. verò CL: Princeps Illust: Domine Clementis:
vtramq; inscribere, & vt hodiè loquuntur, dedicare pla-
cuit: quòd singularem eiusdem in me Clementiam ha-
ctenus expertus sum. quam vt deinceps quoq; erga me
conseruare, nec de meis submissis officijs, debitaq; cum
obseruantia, tum grati animi memoria dubitare digne-
tur, etiam atq; etiam rogo. Valeat Illustris: T. C.

& Nestoreos vsq; in annos viuat. Argen-
tinæ, XVIII. Calend. Nouemb.

Anno 1589.

Illustris: T. Clem.

Sub: Cl.

*Melchior Sebizius Sile-
sius, Medicinæ D.*

T H E S I S I.

Admirabilem illam ac diuinā Humani corporis fabricam & structuram, licet sint variae & innumerae constituentes partes: eas tamen omnes in duas potissimum species tanq̄ certos ordines, Medici qui in harum dignotione, haud aliter quā Philosophi qui circa Vniuersi naturam versantur, redegerunt: ac alias quidem Simplicis siue Similares, à Græcis ὁμοιομερεῖς dictas, alias verò Dissimilares siue Compositas, ijsdē ἀνομοιομερεῖς idest naturā dissimiles appellatas, nominare voluerunt.

II.

Partes Simples eas potissimum nominant, quæ in similes sibi particulas diuiduntur: & separatae totius nomen retinent, nec in partes alterius naturæ & rationis quàm ipsæ sunt diuidi possunt. Ex horū numero sunt Ossa, Cartilaginee, Ligamēta, Nerui, Venæ & cæteræ. qualibet enim pars ossis, cartilaginis, ligamenti, appellationem totius retinet.

III.

Dissimilares verò siue Compositæ, à nonnullis etiam Organicæ siue Instrumentaneæ, sed minus rectè appellatæ, dicuntur eæ, quæ ex similaribus & alijs se prioribus constant, & totum corpus componunt ac constituunt. Huius generis sunt Musculi, Manus, Digniti, & reliqua nostri corporis membra; quorum partes dissectæ ac separatae totius nomen minimè retinent.

IIII.

Harum autem partium, si rursus munus ac officium spectes, Instrumentaneæ dici possunt, eò quòd instrumenti naturam habent: cuius quidem proprium est perfectam actionem obire ac perficere: & huiusmodi quidē sunt Cerebrum, Oculus, Lingua, Manus, & reliquæ corporis partes compositæ appellatæ; imò & ipsæ venæ ac arteriæ, non distante quòd in numerum similarium partium fuerint redactæ.

V.
Inter Similares partes appellatas haud postremum locum ob-
tinent OSSA nostri corporis. Ea enim instar basis ac fundamen-
ti sunt, quibus vniuersa corporis moles sustentatur ac fulcitur: &
reliquæ omnes partes ijs ita firmatæ sunt, vt absq; his sua munia
ac functiones nec obire, nec perficere, nisi fortè imperfectè, possint.

VI.

Idem enim, Galeno lib. 1. Anatomicarum administ. cap. 2.
teste, in animalibus ossa siue ossium substantiæ præstant, quod in
tèntorijs faciunt pali (καμάκασ Græci appellant) & in ædibus
parietes. imò ad horum immutationem, cætera quoq; in animante
solent effingi immutariq; caluaria enim existente rotunda, cere-
brum necessariò tale quoq; fuerit: Pectoris ossibus suam legitimã
seu naturalem formam non seruantibus, sanè & pulmonum nati-
uam conformationem labefactari & vitiari necessum est.

VII.

EST AVTEM OS, quod Græci ὀστέον siue ὀστέον appellant,
pars corporis nostri similis, ex semine genita, inter omnes nostri
corporis particulas frigidissima, siccissima ac durissima, sensu
omni planè expers

VIII.

Eiusmodi autem sensum dum ossibus adimimus, ossicula illa
oris, quæ Græci ὀδόντας, Latini Dentes (quasi edentes dicere ve-
lint) nominant: quæq; instrumenta sunt à natura, ad communem
vsum, ciborum nempe confectionem præcipuè progenita, (nam
ad concinnam sermonis prolationem & conformationem, non om-
nes, sed anteriores siue priores solummodò, conferunt, teste Ari-
stotele, Galeno & alijs) minimè ab his seperare volumus: sed hæc
ipsa quoq; nullo modo sentire statuimus.

IX.

Imò verò ab ossium reliquorum genere ea minimè excludimus:
licèt hæc ipsa ossicula ortu & incremento, quodue ignibus iniecta
cremari

cremari haud possint, Plinij autoritate quidam persuasi, à cæteris
ossibus plurimum differre velint

X.

Ossa autem inter partes nostri corporis numeranda esse, nemo
proculdubio dubitauerit: siquidem ea corpora sunt & ex materia
corporis consistunt, hærentq; toti firmissima, ipsiq; vniuerso cor-
pori ita coniuncta sunt, vt & communi totius vita fruantur, &
incrementum suum in latum, longum & profundum suscipiant,
atq; definitam incrementi legem & metam habeant obtineantq;
sintq; ad aliquam totius functionem comparata: semel deniq; ex
cisa ac corrupta, nunq; postmodum vel crescere vel regenerari
queant.

XI.

Nutriuntur præterea more aliarum corporis partium, attra-
hentis naturæ beneficio, proprio quodam ac peculiari nutrimento,
Medulla videlicet, in ipsorum ossium cavitatibus ac sinubus siue
cauernulis recondita

XII.

Illud præterea de ossibus affirmam⁹, esse ea inter partes Sper-
maticas referenda ac collocanda: eaq; ex crassiore durioreq; parte
seminis esse progenita atq; efformata, quæ postmodum successu
temporis in ossis naturam erat euasura.

XIII.

Quoniam verò, vtrum ossa sensu aliquo, more aliarum nostri
corporis particularum, sint prædita, plurimum inter Medicos
ambigitur: nos ea tamen (quemadmodum superius quoq; annota-
uimus) sensu omnino carere, neq; ipsis sentiendi aliquam vim in-
esse, statuimus. aliàs enim, cum hæc reliquas nostri corporis par-
tes sustentare, ac singulis quasi momentis sua munia obire, neces-
sum sit: sanè singulis quoq; horis animali, corporiq; eius quod su-
stentant, dolorem adferrent.

XIII.

Videmus præterea ossa sæpenumero in profundo corporis, ab acrioribus vel etiam virulentis & venenatis humoribus (quemadmodum in lue venerea siue morbo Neapolitano vt plerunq; fieri consuevit) absq; vlllo doloris sensu corrodi, ac Carie exedi siue Sphacelo corrumpi: & si fortassis aliquando in eiusmodi & similibus alijs affectibus, carne nudata, ferro secantur, igne vruntur, lima raduntur, nullo modo tamen ea eiusmodi incommoda persentire, quotidiana experientia testatur.

XV.

Adde & illud rationi (meo quidem iudicio) haud ita dissentaneum: quòd si cutis volæ manus (quæ tamen aliàs, dum se naturaliter habet, sensu exquisito à natura donata est) in ijs qui operas exercent duriores, callo obducta, sensum omnino amittit, nec quicquam mali dolorisue, siue secetur, siue vratur vel quouis modo tractetur, persentit: igitur & dentes quoq; ipsi extrema duritie ac densitate præditi, quo pacto quæso sentient sensumue doloris percipient? Possent huius rei aliæ quoq; eaq; firmiores rationes adferri, nisi breuitatis rationem habere velimus.

XVI.

Ossium vsus varius ac multiplex est: et is quidem partim cõmunis, partim verò proprius ac peculiaris. Primò enim omnium, ea vniuerso corpori partibusq; eius singulis fulcri, plurimis etiam munimenti ac propugnaculi vice existunt: quibus ipsæ ita firmantur, vt erectum & stare & progredi, nec aliarum bestiarum more, hominem repere, vel capite totoq; corpore versus terram incuruo, incedere opus sit. Neq; verò solummodo istud muneris habent, sed etiam alios quosdam vsus præstant. Sunt enim quædam ossium, quorum officium est quasdam nostri corporis partes tueri, ne quid incõmodi noxæuè ab externis iniurijs ipsis accidere possit.

XVII.

Inueniantur autem licet ossium plurima, quæ ad sustinendam
ipsius

ipsius corporis molem & tunc andas muniendasq; ipsius partes haud ita sunt comparata: non idcirco tamen in vita animalis traducenda, usu quoq; suo penitus sunt priuata. fabricauit enim eorum per plurima hoc nomine natura, ut tendonibus & ligamentis subservirent, & articulationes paratiores ac proniores ita manerent, ac firmarent ne etiam leui de causa tam facile loco moueri dislocariue queant. Huiusmodi usum Patellae in genibus, & ossa Sesamoidea in digitis praestare solent.

XVIII.

Reperiuntur rursus & alia ossa, quae nihil horum plane faciunt nec iam dictos usus praestare valent: sed solummodo Auditus gratia, cui potissimum suam operam praestare debebant, à natura fuere fabricata. Cuius generis sunt tria illa Ossicula auditus appellata, Malleus, Incus & Stapes.

XIX.

Quemadmodum verò diuersis vsibus inserviunt iam dictae nostri corporis partes: ita etiam Natura eorum & essentia est valde diuersa. Alia enim sua substantia solita sunt & dura: alia verò porosa & rara: alia cartilaginosa: alia Epiphysi & appendicibus donata sunt: alia cartilaginibus obducta & vestita.

XX.

Plurima rursus ossium sunt caua, & medulla ad sensum plena: alia verò obscurioribus cauernulis & medulla ad sensum expertia, vel saltem exigua tenuioreue ac liquidiuscula, à natura praedita: alia sunt aspera & leuia: alia rotunda: alia acuminata, quadrangula, Cubiformia, Scutiformia, Scaphoidea, Cymbaeq; similia, vel alia quapiam forma donata.

XXI.

Sunt deniq; & aliae differentiae ossium, quas Anatomici à Connexione appellare consueuerunt. Ossa enim cum in corpore humano eum quoq; usum praestare debebant, quam parietes & trabes in domibus, & carinae in nauibus: hoc ipsum autem corpus innu-

meras actiones motusq; infinitos cum obire necessum esset: Natura sagax & prouida, ne animalis structuram statuæ modo immobilē, & ad actiones perficiendas ineptam effabricasse videretur, noluit sanè nec potuit, ex vnico integro continuoq; osse, hominem, alioqui animal præstantissimum, constare: quod instar lapideæ statuæ neq; sese erigere, neq; inclinare, vario sũe motus & operas obire valeret.

XXII.

Vi igitur eiusmodi ineptitudinem ad motus & actiones omnis generis perficiendas euitaret prouidens natura, factũ est, vt variam & multiplicẽ molita fuerit Ossium σύνθεσιν siue σύνταξιν .i. coniunctionem siue copulationem. Modus autem quo hæc sibi iunguntur, duplex est genere, Vel enim κατ' Ἀρθρον, hoc est, Articulum siue Articulationem, quæ nihil aliud est, quàm naturalis duorum ossium, cum motu, vel ad motum copulatio siue coniunctio, medio vinculo, quod vtraq; semper complectitur, non unquã verò in vtriusq; medium inseritur: Vel κατ' Ἔσφυον, hoc est naturalẽ duorum ossium sine motu vnionem siue coniunctionem, fieri solet.

XXIII

Harum autem duarum iam dictarum ossium compositionum, habet rursus vnaquæq; suas proprias differentias: Et Articulatio quidem siue articulus Διαρθρωσιν ἢ Συνάρθρωσιν: Symphysis verò ῥαφήν, γομφωσιν ἢ ἀρμωνίαν

XXIII.

Διαρθρωσιν appellant Anatomici σύνθεσιν siue σύνταξιν cõmissionem siue Articulationem ossium naturalẽ inter se, motum manifestum habentium, Συνάρθρωσιν verò Inarticulationem cum motu obscuro. Harum autem singulæ rursus in tres certas species diuiduntur: nimirum in Ἐνάρθρωσιν, Ἀρθρωδίαν ἢ Γίγλυμον in eo solo differentes, quod harum trium specierum singulæ in Diarthrosi quidem cum motu manifesto: In Synarthrosi verò cum motu obscuro, quemadmodum dictum est, fiant.

XXV.

XXV.

Ἐνάρθρωσις igitur est illa articulationis species, in qua caput rotundum vel oblongum inseritur siue immittitur in sinum siue acetabulum ossis profundum. Eiusmodi articulationis, si sit τῆς διαρθρώσεως species, quā diximus fieri cum manifesto motu, exemplum est illa articulatio femoris ossis cum coxendice, humeri cum scapula: prioris phalangis siue aciei digitorum cum ossibus postbrachialis. Alterius verò, quæ fit cum motu obscuro, hoc est, quæ est Synarthroseos propria, est illa copulatio Tali cum osse naviculam seu Cymbam referente: Septimi ossis brachialis cum primo & secundo eiusdem.

XXVI.

Ἀρθρία verò dicitur, quotiescunque ossis cavitas siue sinus articulum excipiens est superficiaria, caput verò quod in eam inseritur, depressum & humile: cuiusmodi est illa inarticulatio prismæ colli vertebrae cum secunda, atq; omnium dorsi vertebrarum processuum superiorū & inferiorum, Radij cum ulna, si sit Diarthroseos species: Ex Synarthroseos verò genere si fuerit, ossium Tarsi inuicem, Cymboïdis cum calce, & quorundam ossium brachialis inter se copulatio.

XXVII.

Γίγγλυμος est tertia species τῆς διαρθρώσεως & συναρθρώσεως, in qua ossa sese inuicem ingredientia ita secum iunguntur siue vniuntur, ut vnius caput in alterius cavitatem siue sinum ingrediatur & huius caput in illius sinum excipiatur: solo motu manifesto & obscuro inter sese dissidentes. Huius generis articulationem, Ginglymi videlicet τῆς διαρθρώσεως videre est in ulna siue cubiti osse cum humero: Alterius verò in tali osse cum calce, & nonnullis brachialis ossibus.

XXVIII.

Sequuntur vltimo loco, illius alterius compositionis ossium, quam Σύμφυσις supra appellauimus, species: Sutura videlicet,

Gomphosis & Harmonia. Sutura[m] siue $\rho\acute{\alpha}\phi\eta\nu$ Græcis dictam appellamus eam ossium compositionem, quæ consutis rebus, siue coniunctioni ferrarum, sese mutuo contrario occurso ingredienti-um similis est, cum nimirum dentatæ unius partes, in crenatas alterius inseruntur. Huius generis sunt suturæ capitis Coronalis, Sagittalis & Lambdoidis appellatæ.

XXIX.

$\Gamma\acute{o}\mu\phi\omega\sigma\iota\varsigma$ verò dicitur, cum os ossi in modum & formam clauis infigitur, siue tam exactè infixum est, ut ne tantillum quidem loco moueri possit: quemadmodum videre est Dentes in maxillis infixos. Αρμωμία verò ossium compositio est secundum lineam simplicem & rectam facta, qualis est illa commissura maxillæ superioris, quæ in ipso naso habetur: & denique illa, quæ secundum palati longitudinem fertur.

XXX.

Harum omnium iam dictarum ossium articulationum siue compositionum species committuntur inuicem aliàs per $\sigma\upsilon\gamma\chi\acute{o}\nu\delta\rho\omega\sigma\iota\nu$, quæ est duorum ossium per Cartilaginem $\sigma\upsilon\mu\phi\upsilon\sigma\iota\varsigma$: talem videre est in osse pubis, & pectoris siue etiam Ilij ea in parte, qua ossi sacro appellato connectitur: Aliàs verò per $\sigma\upsilon\sigma\acute{\alpha}\rho\kappa\omega\sigma\iota\nu$, hoc est, per intermedium siue per interuentum carnis: qua ratione caro gingivarum dentibus firmiter adherescens, ipsos suis ossibus veluti colligat. Denique etiam per $\sigma\upsilon\nu\delta\acute{\epsilon}\sigma\mu\omega\sigma\iota\nu$, per interuentum alicuius ligamenti: prout unicuique in eiusmodi articulationum connexionem, ex Sceleti structura siue fabrica cernere facile licebit.

XXXI.

Quemadmodum verò vniuersa corporis nostri ossa affectiones præter naturam patiuntur diuersas. nam vel franguntur, vel luxantur & suo naturali loco mouentur, exciduntur vel colliduntur, vel carie ac sphacelo vitiantur, abscessus patiuntur, putrescunt, desquamantur, carne nudantur, decolorantur & nigrescunt

grefcunt. Ita & articulationes iam dictæ, si non omnes, at saltem maiores & præcipua maximaq; earum pars, suas quoque patiuntur sæpenumero affectiones: imprimis verò dolores ac cruciatus immanissimos ac vehementissimos.

XXXII.

Nam quotiescunq; aliquid materiae alienæ in eiusmodi articulos inciderit, & membranis, tendonibus ac ligamentis, quibus firmantur vel teguntur ipsi articuli, interceptum imbibitumq; fuerit: & ipsa articulatio infirmior debiliorue, vitio naturæ ab ipso statim exortu vel aliam ob causam facta sit: vehementissimi sanè inde excitantur cruciatus ac dolores, affectusq; præter naturam ipsis articulis proprius ac familiaris, quem Medicorum Schola **ARTHRITIDEM** & Articularem morbum, vel Barbarorum more *Guttam* (quòd guttatim humor talem affectionem procreans stillet vel defluat) appellare consueuerunt.

XXXIII.

Est enim *Arthritidis* omnium articulorum dolor communis, à parte, articulis videlicet vniuersis nomen assumens: quemadmodum *Ποδάγρα* speciatim à pedibus pedumue articulis: *χειράγρα* à manuum: *ισχιάς* ab ossis *Ischij*: *γονάγρα* à genuum articulatione. Hinc *Arthriticos* eos appellamus, quorum articulos vniuersos vel saltem per plurimos dolor quidam immanis exercet obeditue: *Podagricos*, quorum pedes idem dolor inuasit: *Ischiaticos*, quorum articulos in articulatione *Ischij* doloris sensus occupauit.

XXXIIII.

Consuevit enim hoc malum æqualiter in articulos omnes, statim à principio irruere eosq; excruciare: interdum verò sensim ac veluti lento quodam gradu modò huius, modo illius membri articulationum compagem diuersis paroxismissis infestare: quod pro loci ratione, in quem incidit, nomen sortitur. Nonnunquam verò vna eademq; accessione, ab vnica solummodo articulatione vnus cuiuspiam partis, utpote manus vel pedis pollice, digito, vel calz

ce, vel planta incipit, mox ad alios transmigrat: donec tandem una eademq; accessione omnes in genere vel saltem præcipuos sæuissimis doloribus confecerit articulos: à quibus tanquam à communi loco in quo excitantur eiusmodi dolores, nomen acquirit.

XXXV.

Arthritis igitur, naturam affectionis si spectes, nihil aliud est quàm Tumor præter naturam, ex fluxione in articulos à natura vel alia ex quauis causa debiles & infirmiores, decumbente natus. quæ quidem derepente & affatim in cavitates articulorum irruens, ac inter ligamenta, tendones & membranas sese insinuans, dolores vehementissimos ac immanissimos per certa quædam interualla repetentes, facit: atq; inibi fixa & impacta quasi hærens, figuram naturalē ipsius membri, cuius articulum occupauit, corrumpit ac euertit.

XXXVI

Nisi enim intra ipsum articulum & eas quæ articulum constituunt partes, materia siue humor ex alijs partibus per distillationem descendens & influens effusus fuerit, quantumuis aliàs per uniuersam carnē partesq; corporis omnes diffusus sit, arthritidem tamen haud facit, neq; etiam Arthritidis nomen merebitur, etiamsi in iam dictis partibus dolor quispiam excitatus fuerit. Articularis enim morbus ut fiat, omnino necesse est, articulos ipsos affici. Hæc enim est sola pars, quæ in Arthritide morbo primum ac per se afficitur: hæc sola & vnica huius mali sedes ac focus perennis, Articuli videlicet & eos constituentes partes, ligamenta scilicet, tendones & membranæ articulis contiguæ. In quas quos uiescunq; humor aliquis influxerit, & circa eas sese insinuauerit, inflammationem tumoremq; dolorem deniq; ingentem ac cruciatus immanissimos, eas ipsas partes replendo distendendoq; causare consuevit.

XXXVII.

Dolores igitur, quicunq; aliquando uniuersos corporis artus,
articulis

articulis solis exceptis, excruciant, Arthritidis nomine minimè
complecti uolumus; multò verò minus & eos, qui ab aliqua causa
externa, vt Contusione, Vulnere, vel alia quapiam simili fieri
solent.

XXXVIII.

Econtrario verò eos ab Arthritide vix excludi posse putamus,
quicumq; saepenùero in ijs Arthriticis accidere consueuerunt, qui,
dum per aliquot annos, vel etiam per totam ferè vitam articula-
ribus doloribus fuerunt cruciati atq; propemodum confecti, tan-
dem verò etiam extra articulationes manifestas, utpote circa
Thoracis latera, circa podicem (quemadmodum in Illustri quos-
dam Comite aliquando vidimus) aliasue corporis inconsuetas
partes, post multos arthriticos cruciatus dolores percipiunt imo
manifestissimos.

XXXIX

In eiusmodi enim doloribus humorè et materiã eam ipsam esse
existimamus, quæ olim in articulos influere, & arthritidem siue
arthriticos dolores excitare consueuerat: nunc verò ubi iam om-
nes vel saltem potiores articulos peragrata fuerit, omnesq; cavitates
eorũ ita expleuerit, vt nihil amplius propter callosam materi-
am in ea ex influente humore recipi possit: accidit ipsam, cavitatibus
maioribus relictis, reliqua ossium perioestia, easq; ossium con-
nexiones copulationes vè quæ motu manifesto carent, quæ uè per
Symphyseos species sibi inuicem iunguntur, effundi: atq; ita eas
ipsas particulas distendendo atq; malignitate sua offendendo, dor-
lores cruciatusue sæuissimos per certa interualla repetentes exci-
tare.

XL.

Ab arthriticis supra dictis doloribus, eos porrò labores atq;
cruciatus excludimus, longèq; diuersos esse affirmamus, qui per
decubitum humorum, aut per Crisim, aut per *παλιδρωμήν*, id
est, regurgitationem aut per collectionem siue congestionem sensim

facta in Pedum vel Ischij vel Brachij iuncturis, vel vniuersim in annexis articulis sæpenumero excitari consueuerunt.

XLI.

Licet enim eiusmodi humores in ipsorum articulorum cavitates incidere, in ipsisq; dolores & cruciatus insignes excitare contingat, Arthritici tamen minime sunt, nec Arthritidis nomine appellari merentur, sed alterius planè generis existunt suntq; ab arthritide diuersi: eò quòd per interualla non repetant, nec suas accessiones habeant, sed semel medicamento superati atq; explosi, nunquam postmodum redeant, quod in vera Arthritide fieri consuevit: neq; etiam ob imbecillitatem articulorum materiam defluentem recipientium, sed potius naturâ prauos humores ad articulos tanq; ad partes ignobiliore expellente, fieri soleant.

XLII.

Affluxum igitur humorum ad articulos per certa quædam interualla, & ipsam quoq; imbecillitatē iuncturarum oportet adesse, si arthritus debet fieri. Defluxio autem eiusmodi vt plurimū accidere consuevit ob ipsorum humorum in parte mittente existentium copiam, vel eorundem prauam & malignam qualitatem, ipsarumq; præterea partium mittentium robur, suscipientium verò (quemadmodum ante dictum est) imbecillitatem ipsis innatam vel acquisitam: (nullum enim corpus est, quod non habeat partem aliquam à natura vel alia quadã de causa imbecillio-rem.) cuius quidem imbecillitatis ratione, illud ipsum quod affluxit, neq; à se aliò repellere, neq; etiam concoquere vel digerere possunt.

XLIII.

Membra autē quæ naturali robore, quæuè maiore ac validiore vi sunt prædita, præter quã quòd morbificis causis longè magis resistunt ipsisq; ægrius cedunt, illud insuper præ cæteris obtinent, quòd facultate expultrice firma ac robusta valeant, qua humores redundantes vel qualitate maligna infestos in alia membra à se dimittunt. Quocirca quotiescunq; ea vel onus aliquod vel noxam & molestiam

& molestiam aliquam humorum persentiunt, eos statim à se in proximas quasq; repellunt & ablegant partes: hæc rursus in alias, donec tandem ad eas ventum fuerit, quæ propter sui magnam imbecillitatem eiusmodi dictos humores non amplius valent ad alias dimittere particulas.

XLIIII.

Imbecillitatem verò partis, articulorum nimirum, omnino adesse necessariò requiritur. non enim satis esse putamus, defluxum humoris ad progignendos veros arthriticos dolores, adesse, nisi etiam eiusmodi imbecillitas articulorum accesserit: siue ea vitio & errore vitæ, siue à conformatione (qualis esse in ijs consuevit, qui à parentibus podagricis nati fuere) vel alia quapiam de causa fuerit contracta. Eiusmodi enim partes imbecilliores perfacile ad excipiendos humores, quos aliæ robustiores à se repelunt, sunt natæ: ut quæ neq; repellere, neq; in alias ulterius eos trudere, quemadmodum iam dictum est, valeant.

XLV.

Ex his iam à nobis in medium allatis constat, ad Arthritidis generationem duo præcipuè necessariò requiri: Suscipientis videlicet partis imbecillitatem, ab ortu in utero matris, vel alia ex quacunq; tandem causa ea acciderit, contractam: Et humoris partim in Cerebro, partim in Iecinore, partim in Ventriculo alijsuè visceribus, partim verò in vniuerso corpore, tanquam partibus mittentibus geniti per uenas, cæcosuè ac latentes inter musculos et cutem meatus ad articulos distillationem: qui humor ad compagē articulorum præcipitatus, partes sensibiles, cuius generis sunt chordæ tendonesuè, ligamenta & membranæ, distendens diuellens & continuum soluens, cruciatus & dolores immanissimos solutuq; contumaces, pro materiæ fluentis ratiõe, inducit. deniq; in Topheam materiam conuersus, ossa suis sedibus progressu temporis dislocat ac dimouet, membra affecta distorquet, natiuamq; compagem ac conformatiõem sæpenumerò turpiter peruertit, hominemq; tandem iugulat & interficit. C

XLVI.

Quonia verò de parte mittente, hoc est, vnde, ex quauè corporis parte & per quas vias eiusmodi defluxio proueniat, inter Medicinæ proceres valde sit controuersum & dubiū: alijs solummodo Caput huius defluxionis fontem & scaturiginem statuentibus: alijs vero Hepar: alijs ventriculum: alijs quoque vniuersum corpus eiusmodi fluxionis causam & originem esse affirmantibus. Nos tamē Caput maxima ex parte esse, à quo huiusmodi humores tam ab internis quàm extra caluariam positis partibus, in articulos descendunt, affirmamus: Sæpenumero tamen etiam ab Hepate alijsq; præcipuè nobilioribus partibus huius morbi materiam defluere nullo modo negare possumus.

XLVII.

Quod verò Caput maximè sit fons & origo materiæ Arthritidem committentis, potest hoc ipsum ex plurimis, quæ in vsu pratico ante generationem morbi visuntur, Symptomatis demonstrari. Nam vt plerunq; ægri conqueruntur ante accessionem huius morbi, de insigni capitis grauitate, distentione, eiusdemq; vnà cum ceruicis & spatularum insigni dolore, vertigine, visus obscuritate, sensuum omnium torpedine & quadam perturbatione: præter ea alicuius rei, per vniuersum corpus, maximè tamen per dorsum cum leui quodā horrore, frigore uè descendente, perceptione: denique continuis quasi distillationibus tam per nares quàm per oculos, prout videlicet in commotione expurgatione uè humorum, in partes factus fuerit illapsus.

XLVIII.

Eiusmodi autem iam dictæ à capite distillantes materiæ partim in capite ipso primò & per se generantur: partim verò, imò sæpenumero in ipsum ex Iugularibus externis venis, earum uè ramis, ex Hepate calidiore & contextu venarum totius corporis, fumorum instar, in caput tanquam caminum siue tectum fumosæ domus, assiduè efferuntur: quæ eò delatæ cum ob densitatem & crassitiem

erassitiem pilosæ cutis expirare nequeat, paulatim coaceruantur
& omnem regionem implent. hinc aut ob copiam impulsæ, aut le-
ui aliqua alia ex causa externa præcipitata, deorsum affatim ru-
endo in ipsos quoque articulos decidunt, ac eiusmodi immani do-
lori occasionem præbent.

XLIX.

Quemadmodum igitur hanc partem omnium frequentissimam esse
asserimus, à qua eiusmodi humor, Arthritidis causa, suam originem
ducit: ita sanè eiusdem fluxionis fontem ac scaturiginem, præter
capitis partem, ipsum quoque Hepatis viscus sæpenumero existere,
negare nullo modo nos posse diximus: Immo unà cum alijs præ-
stantissimis Medicis illud insuper affirmamus, non ex Iecore solo,
sed ex ipso quoque uniuerso corpore, & alijs corporis partibus, præ-
sertim verò nobilioribus & visceribus internis, Liene videlicet
Vtero, Renibus, eiusmodi materiam Arthritidis quamplurimum
& quàm sæpissimè suppeditari, & inde eam in articulos omnino
profluere.

L.

Per quas autem vias & per quos canales eiusmodi fluxio fiat,
cum rursus illud ipsum maximè controuersum inter Medicinæ
scriptores esse videam: nos, autorum respectu nullo habito, asseri-
mus eiusmodi humorum defluxum in articulos, partim fieri per
ampla & laxa, quæ habentur inter cutem & musculos spatia: par-
tim verò, non quidem per ista iam dicta patentia loca, sed per ipsas
quoque venas: quas natura, aliàs ex uniuerso corpore, aliàs verò ex
interioribus partibus, visceribus nimirum, Hepate, Liene, Vtero
& alijs, ad articulos, potissimum verò & omnium frequentissimè
ipsorum pedum exonerat. quandoquidem ii ad excipienda supra
se positarum partium excrementa non solum opportunè positi sunt:
verum etià à natura quodammodo superfluis excipiendis destinati.

LI.

Longè enim facilius excrementorum colluuiæ & defluentes

materiae ad loca decliuiora, qualia articuli pedum sunt, in quibus podagrici dolores suam sedem figere consueuerunt, delabuntur: quam ad alia minus decliuia membra. Facilius quoque in iam dictis partibus dolores ab eiusmodi materia delapsa causantur ob earum frigidiorum quam a natura habent temperiem: propter quam neque digerere, neque concoquere vel alio propellere morbificam materiam valent. Et quoniam iam dictae partes magis quam reliquae nostri corporis particulae laboribus quotidianis defatigantur, aeris quoque iniurijs plus alijs sunt expositae: idcirco sane promptius quoque eas excrescentia & defluentes humores excipere credibile est.

LII.

Hinc sane & ob has ipsas causas, podagras omnibus reliquis speciebus fieri frequentiores videmus: imo, dum in aliquo incipit haec calamitas, ab ipsius pedis magno digito, vel planta, vel a calcaneo, quemadmodum superius annotauimus, ut plerumque omnium primo sua sumit exordia: donec tandem reliquas quoque non solum pedis, sed aliarum quoque partium articulos, reuertentibus per interualla paroxysmis, plane occupauerit.

LIII.

Tanta enim est huius mali ferocitas ac immanitas: ut non sufficiat ipsi unam aliquam partem, iteratis per certa quaedam interualla accessionibus, diris ac immanissimis doloribus excruciasse: nisi etiam & reliquos corporis articulos sua immanitate ac ferocia depopulatum fuerit. idcirco videmus plerumque non modo pedis sed etiam manus, brachij & humeri articulos: vel relicto unius loci articulo, mox alterius alicuius partis, non diuersis sed una eademque prope accessione occupare, atque miseros aegros immanissimis doloribus conficere, pro impetu & defluxu ipsius morbificae materiae.

LIIII.

Cæterum imbecillitas illa articulorum, quam necessario requiri, si arthritidis generari debeat, supra asseruimus: ea, inquam, nobis vel ingenita est, & a parentibus in liberos propagata, cuius nomine

nomine meritò Natiua appellari consuevit : vel aliunde & alijs ex causis, potissimū verò ex ijs quæ laxant, extendunt, emolliunt, ipsamq; articularum compagem quasi resoluūt, progenita, Asciritia Medicis appellata. huius generis quoq; sunt vehemens & crebrior annixus et contentio articularum in exercitijs corporum, in lucta, certaminibus, denique etiam ea, quæcunq; extrinsecus articulos contundunt, vt ictus, lapsus, uestiones, & alia infra enumerata intempestiuè & immoderatus vsurpata.

L V.

Quod verò propter eiusmodi iam dictam perniciem, successione quadam, ab auis & attauis Arthritici fiant fieriue possint, docet hoc ipsum quotidiana experientia: Neq; etiam ipsi rationi vsque adeo est dissentaneum. Nam si Nephritico morbo laborātes, nephriticos, Elephantiasi infecti leprosos, Comitiali morbo laborantes Epilepticos progenerant: quid igitur obstat, ex arthriticis parentibus ortos, non etiam arthritide laboraturos?

L V I.

Imbecillitas autem eiusmodi articularum, quam Natiuam supra appellauimus, à vitioso & prauo semine parentum prognata, licet sit ingenita, non idcirco tamen statim ab ortu se prodit: neq; statim à primis annis Arthritidem parit. eò quòd ad eiusmodi imbecillitatem articularum, etiam redundantia peccantis humoris ad Arthritidem progignendam necessariò (quemadmodum superioribus dictum fuit) requiratur. qui quidem primis illis & teneriusculis annis omnino perpaucus esse consuevit, propter calidi innati præsentia, à quo omnis redundans humor in eiusmodi ætate consumitur. Hinc non ita semper facile est puerum podagra laborantem inuenire. Quod si vero fortassis tanta fuerit alicuius in primis illis annis constituti ingluuies ac voracitas, vt calor natiuus eam non valeat superare & absumere: haud sanè quicquam prohibet, quamobrem se non confestim eiusmodi malum prodere debeat.

LVII.

Quod autē multi arthriticis dolorib⁹ præsertim verò podagri-
cis infestantur, quorū tamē parentes nunquā visi fuēre hoc morbo
laborare: rursus verò alij ab arthritide planè immūes, quorū tamē
parentes maximè vehementerq³ podagricis doloribus cruciati fue-
runt: existimamus nullā aliam causam huius rei dari posse, quā
quòd non sola & nuda partium imbecillitas, hoc est, articulorum
fabrica & compages ineptior, laxior, vel arctior stricti oruè,
Acetabulorum præterea ineptā conformatio, vel eorundem am-
plior quā ad motum necessaria sit fabricatio: sed etiam humor à
natura alienus ad arthritidis generatiōem necessariò requiratur.

LVIII.

Hæ itaq³ primæ ac præcipuæ sunt huius affectus præter natu-
ram cause. sunt tamen præter has & aliæ, Procatarticae, Ex-
ternae siue Evidentes dictæ: quæ partim Recipientium imbecilli-
tatem augment, partim materiam in partibus mittentibus præ-
parant ac coaceruant, cumulatam fouent, irritant & impellunt.
Huius generis sunt Aëris vel frigidior vel calidior cōstitutio: Sus-
bitæ tempestatiū in calidum vel frigidum mutationes, Flatuum vt
Austri vel Aquilonis ἀνόμαλ & διοργασία: Delicatiores et molli-
or viuēdi ratio: Crapula et ingluuies: et reliqua his similia, de quib⁹
singulis, paucis hoc loco dicere, haud ita alienū, vt opinor, erit.

LIX.

Aëris itaq³ constitutio, vt ab hac omnium primò fiat ini-
tium, quandoquidem huius vnus tanta est necessitas, vt absq³ eo
ne momentum quiden temporis tam in secunda quā in aduersa
valetudine animans degere possit. huius inquam ambientis si talis
fuerit constitutio, vt impense à sua naturali temperie recesserit e-
uariaueritq³: haud parua sanè futura est huius mali occasio. Nam
quemadmodum in cæteris morbis omnibus, testimonio Hippocra-
tis: sic et in hoc quoq³ aliàs breuior, vt calidiore aëris constitutione:
aliàs longior, ut in frigidioribus, procreabitur morbus.

LX.

Calidior præterea cœli constitutio, cuius proprium est non modo calidiora reddere corpora, sed etiam humores in corpore contentos liquare ac dissolvere, æstusq; insignes in corporibus animalium excitare, coctiones & vegetatricis virtutis munia interturbare ac debilitare: vires quoq; omnium corporis partium ac membrorum deijcere, partes laxiores & ad defluxiones suscipiendas paratiores & aptiores reddere: procul dubio ipsorum quoq; articulorum vim & robur dissipabit, eorumq; calore aliâs imbecilliore dissoluto languidiores & ad fluxiones recipiendas longè aptiores reddet: ipsos deniq; humores in partibus redundantes ad defluendum concitabit: & ita multis rationibus huic morbo absq; dubio dabit occasionem.

LXI.

Frigidior autem aëris conditio, licet aliâs corpora refrigerando densiora robustioraq; reddat, coctiones calore intrò repercusso & in profundum corporis coacto, valentiores robustioresq; faciat: tamen si ea præter naturam frigidior euaserit, sanè ea quoq; ipsis articulis aliâs naturâ frigidioribus, nimia sua frigiditate, calorem natium in singulis partibus imminuendo obtundendouè vel sæpè penumero etiam extinguendo, artus infirmiores reddendo, & humores excrementauè per eiusmodi constitutionem facile progenerari solita, ad partes debiliores cogendo eoarctandoq; non parum incommodabit: & hac ratione Arthritidi non minimam quoque causam præbebit.

LXII.

Hoc ipsum quoq; haud impotens erit facere Humidior quàm par sit cœli & aëris status. Hic enim cum corpus emolliendo humectandoq; eneruet languidumq; reddat: vires quoq; corporis prope modum omnes corrumpat: habitum corporis vniuersum excrementis obnoxium, pigrum ac inertè faciat: proculdubio et articulorum compagem plus solito humectando & humorum copiam in

articulos deferendo, nervos, membranas, tendones vnà cum par-
tibus reliquis moliendo relaxandouè, morbos à fluxione & Arthri-
tidas non minus quam superior cæli constitutio procreabit.

LXIII.

Cibum autem & potum, etsi ceu præsens quoddam animæ
remedium, homini dederit sagax & prudens natura, eiusq; ope
quicquid singulis momentis nostræ substantiæ perit & dissipatur,
resarciat restauretq; tamē nisi delectus, ordinis ac temporis, qua-
litate vel quantitate in cibis sumendis habeatur ratio, non solū
profecto hoc ipsum grauissimas occasiones morbo articulari pro-
generando in sanis præstabit: verumetiam in laborantibus per
eiusmodi errata, affectum hunc longè grauiorem efficiet.

LXIII.

Incauta itaq; & inordinata cibi & potus ratio erroresq; in vi-
ctu cōmissi, quantam vim in hoc morbo progignendo habeant, &
quam insignem ipsi occasionem præbeant, vel saltem difficiliorem
reddant, experiētiā quotidiana hoc ipsum facile demonstrari po-
test. ut plerūq; enim longè difficilioribus cruciatibus conficiuntur,
& eò frequentiores habet recursiones hoc genus morbi in ijs, qui-
cunq; multitudine ciborum sese ingurgitant, quiue nullo delectu
habito, omnibus indifferenter cibis vescuntur, vel commessando,
& compotando ventres suos explent, nec vllum tempus commo-
dum sumendi cibos obseruāt, sed nondum priore elaborato & cons-
fecto alios assumunt.

LXV.

Ciborum præterea ac eduliorū in vna mensa varietas & ipso-
rum varius apparatus, variusq; in una eademq; mensa vsus, quàm
sæpè multos ac graues morbos pariat, quamue faciles aditus huic
faciat malo, dici vix potest. Nam cum diuersorum ciborum
diuersa sit materia, fieri non potest, quin alius alio tardius vel ci-
tius conficiatur cibus. quod dum fit, necesse est subinde multas
partes chyli reliqui crudiores atq; inde excrementorum colligi
prouentum

prouentum quàm copiosissimum: ex quibus ipsos quoq; articulos, aliàs suscipiendis eiusmodi superfluitatibus paratos, tandē obrui necesse est.

LXVI.

Quemadmodum vero inordinata cibi ratio plurimum ad generandam arthritidem conferre ostensum est: ita sanè & intempestiuam immodicamq; vini, præsertim potentis & generosioris potiosnem, & ingurgitationem copiosiore, non minoris efficaciae esse facile demonstrari potest. Haud enim postremum locum inter causas arthritidis obtinet vini meracioris & fortioris continuus (præsertim verò quemadmodum à multis helluonibus fieri consuevit, ieiuno existente ventriculo) ac frequentior vsus, nam & quàm citissimè & quàm facillimè vaporibus & fumis caput cerebrumq; implet, tentat ac vellicat, vnàq; neruos & membranas cæterasq; neruosas partes & ipsam quoq; compagem articulorum plurimum offendit, distillationibus atq; imbecillitati occasionem præbet: atq; ita facile huius articularis morbi causa existit.

LXVII.

Vnde Hippocrates, ob vitæ parcitatem temperantiãq; hoc morbo pueros planè non laborasse: nostro vero hoc seculo, plurimos non modo pueros, sed etiam mulieres, quas tamen idem Hipp: podagra non corripit, nisi menstrua defecerint, affirmauit, hoc vitij genere laborare vèxariq; ipsa quotidiana experientia rerum magistra demonstrat. Idq; nullam aliam ob causam, quàm quòd, dum pleriq; comestationibus & ebrietati dediti, vino sese ita ingurgitant atq; explent, vt vix tellus & mare gulæ ipsorum sufficere possint, Iuuentus quotidiano tam turpi exemplo ducta, idem sibi licere putans, mero & crapulæ dedita ac diffluens, robur natuum atq; vim omnem membrorum amittit, atq; hac ratione sponte eiusmodi malum sibi accersit.

LXVIII.

Nec minor est rei Veneræ vis quam ipsius crapulæ &

D

ebrietatis, Arthritidem morbum faciendi: immo hæc duo sola vis
dentur quodammodo sufficere ad prognerandum morbum artie
cularem. Nam quemadmodum moderatæ Veneris salutaris &
necessarius est quandoq; vsus, omnibusq; animalibus à natura est
ingenitum sui conseruandi & propagandi desiderium: ita rursus
immoderatio & præposterus eiusdem vsus, maxima plerunq;
& inter omnes Res non naturales appellatas non postrema Ar
thritidis est causa.

LXIX.

Intempestiua & immoderata Venus totius corporis robur ex
oluit: neruorum incontinentiam facit: vniuersi corporis articu
lorum connexionem & compagem concutit ac diuellit: & vnâ
cum vniuerso corpore iuncturas ipsas imbecilliores reddit: vt hac
ratione turgentes atq; diffluentes humores eò facilius in se admit
tant, nec eos digerere vel conficere valeant, & proinde articulari
morbo faciliores aditus fiant.

LXX.

Exercitia verò & labores, quâuis, iuxta illud Hippocra
tis, Sanitatis studium est non satiari cibis, & impigrum esse ad la
bores, non parui momenti sint nõ modò ad sanitatem tuendam &
conseruandam, sed etiam ad futuros morbos propulsandos: tamen
nisi ea moderationem quandam seruauerint, & conuenienti loco
& tempore fuerint facta, proculdubio non minimam quoq; occa
sionem ipsi Arthritidi sæpenumero suppediabunt.

LXXI.

Exercitia enim huiusmodi vehementiora & immoderatio
ra, non modò vniuersum corpus, sed & ipsos articulos excalesciunt,
laxiores, & ad excrementa excipienda promptiores reddunt & in
iis ipsis quoq; partibus dolores concitando attractionis humorum ex
crementorum uè nõ exigua causa existunt. Adde quòd per huius
modi immoderatos & intempestiuos labores, plus iusto excalescto
corpore, humores attenuantur, liquefiunt, atq; ita tenuioribus illis
humorum

humorum partibus cōcitatis, poris & meatibus omnibus per eiusmodi exercitia apertis dilatatisq̄, ad articulos, tanquam partes imbecilliores defluendi ansam præbent.

LXXII.

Illud præterea per eiusmodi labores & exercitia vehementiora incommodi accedit, quòd propter calores in corpore excitates, humorum longè maior fieri plerunque soleat resolutio ac consumptio, quàm ut ipsa rei necessitas exposcat. Facultas itaque Attractrix metu vacui insurgens, non solum quod satis est, vel quantum sufficere videtur pro eo quod discussum ac resolutum fuit, sed etiam aliquid amplius & quàm ipsi parti ex usu sit attrahit: & ita partem ipsam, articulos videlicet à natura debiles grauat, ac impares oneri sustinendo, succumbere facit, morbumque articulare homini cò citius accersit.

LXXIII.

Deses verò & otiosa vita quod æquè ac labor huic quoq̄ morbo occasione esse possit, haud ita difficile est demonstrare. Ex desidia enim calor innatus flaccescit fereq̄ extinguitur. quò sit ut ingens copia crudorum humorum progignatur, quorum tenuiores partes per vini longiorem potationem, vel alia quavis leui de causa concitata, ad articulos potissimumq̄ pedum, tanquam imbecilliores vniuersi corporis partes delatæ atque profluentes, Tumorem in dictis partibus præter naturam cum dolore sæuissimo concitant.

LXXIIII.

Nec minor quoque vis est, ad articulare eiusmodi morbum faciendum, in ipsarum Euacuationum consuetarum, præcipuè verò & omniũ maximè earũ, quæ per vrinas, vel per sudores fieri sunt solitæ, retentione vel diminutione. Suppressis enim & retētis illis naturalibus, vel etiam neglectis & intermissis artis beneficio fieri solitis euacuationibus (ex quarum genere sunt venæ sectio & annua per medicamenta καθαρτικά vel per Sudorifera,

purgatio) magnam saepenumero datam fuisse huic morbo causam, quotidiana experientia testimonio hoc ipsum comprobari potest.

LXXV.

Idem quoque de Somno, qui animalibus ad quietem viriumque collapsarum restorationem à natura datus est, & Vigilijs etiã affirmare licebit. Ille enim immoderatiores & intempestiuus si fuerit, dum membra omnia flaccida, laxa & exoluta efficit, superfluos humores & naturæ molestos non modò non expellit vel discutit ac digerit, sed eos potius adauget & coaceruari facit. Hæ autem modum metamque excedentes, vires corporis & actionum omnium dum labefactant ac languidas efficiunt, sensuum functiones debilitant, prauumque habitum & plumbeum quasi corpori inducunt, robur articulorum soluunt, eorumque compagem laxant: & Arthritidi hac ratione multis nominibus occasionem præbere possunt.

LXXVI.

Animi autem Pathemata siue perturbationes (ex his autem Ira, Furor, & Excandescencia) quia mentem & animum, quotiescunque ea immoderatiores fuerint, molestia afficiunt & perturbant, corpus alterant & à naturali statu deturbant, calorem accendendo humores colliquant, fluxiones concitant: ista omnia, inquam, & multò grauiora incommoda quia sunt parata facere: Articulare morbum quidni possent excitare accelerare uè, articulorum connexionem resoluendo vel distillationes in easdem partes proritãdo?

LXXVII.

Et hæc quidem omnia sunt, ex externis illis causis appellatis, quæ Articulare morbum excitare & progenerare: vel genitum fouere: vel eundem accelerare: vel saltem ipsi magnam occasionem præbere: & ut is subinde & eò frequētius per certos quosdam circuitus reuertatur, efficere consueuerunt.

LXXVIII.

Restat nunc ut de ipsa quoque materiali & interna huius mali.

mali causa aliquid dicamus, in qua plurimum quoque rei medicæ scriptores dissidere videmus. Nam quemadmodum omnes ferè vno eodemq; ore fatentur, materialem huius morbi causam humores esse in corpore: ita in eo plurimum inter se discrepant, quis nam potissimum humor huiusmodi affectus existat causa. Alius enim solam pituitam: alius præter pituitam, bilem, vel melancholiam, eamq; quandoq; synceram, quãdoq; etiam impuram & alteri humori mixtam, huius tam atrocis mali causam esse affirmant.

LXXIX.

Nos verò, vt ingenuè quod sentimus dicamus, asserimus: hos articularum dolores à materia tenuiore humorum, quos sæpenumero Galenus & alij Medici Ichores appellant, potissimum tamè & maiore ex parte pituitosorū prouenire. Ita vt Ichoris nomine tenuissimam sanguinis, vel pituitæ, vel bilis, vel melancholiæ partem intelligamus, quam sæpenumero natura & ipse quoque Medicus beneficio medicamentorum per Sudores, per Urinas, & alias vias expurgant & euacuant.

LXXX.

Dum autem eiusmodi tenuiorem partem iam dictorum humorum arthritidis causam esse statuimus, minimè tamen interea asfirmare veremur, arthritidem & eius species, Podagram videlicet & Ischiadem vnà cum alijs arthritidis speciebus aliàs à sanguine, aliàs à pituita, aliàs à bile, aliàs à melancholia prouenire: perpetuo tamen horum iam dictorū tenuiores partes intelligendo, quæ aliàs sunt pituitosæ, aliàs sanguinæ, aliàs biliosæ, aliàs vero melancholicæ solæ & puræ, quandoque verò compositæ & inter se mixtæ: prout fuerit humorum in corpore inuicem mixtio.

LXXXI.

Illud præterea hoc loco (quemadmodum & superius asseruimus) haud negare volumus, hos ipsos iam dictos ichores materiã omnium arthritidū, aliàs in ipsis visceribus, internisq; & principalibus partibus, Hepate videlicet, Liene, Vtero & in Capite, aliàs

verò in vniuerso corpore generari: atque inde tanquam origine
& scaturigine parteq; mittente, quotiescunque illi vel copia vel
qualitate sua his iam dictis partibus graues & molesti infensique
fuerint, quandoq; per summa corporis, inter cutem & musculos:
aliàs verò per spinam & alios meatus, si in capite huius mali fue-
rit fomes: aliàs per venas, si in hepate vel alijs visceribus fuerint
geniti: ad articulos tanquam partes excipientes, per defluxionem
à facultate Expultrice depelli atq; trāsmitteri. qui sua tenuitate ve-
lut per cuniculos quosdam in articularum sinus decumbentes sese
in articularum compagem, ligamenca & membranas insinuant,
atq; has partes distendendo dolores saeuissimos in articulis excita-
re solent.

LXXXII.

Quemadmodum enim in exundatione aquarum, & stagnis
vel piscinis plus iusto plenis accidit, ut aqua suo alueo siue loco
haud contineri potentes, hinc & inde per cæcos & latentes subter-
raneos meatus vagentur, & extra consuetos canales ferantur, eua-
curariuè consueuerint: ita sanè similiq; modo humores sæpenu-
mero per insuetas vias & cæcos quasi latentesque meatus feruntur à
partibus, quibus molesti erant, expulsi. Est enim corpus viuente
animali vndiquaq; hians atque multis meatibus quasi peruium:
qui extincto animali concidunt, atq; obscuriores neq; ita manife-
sti fiunt. Per eiusmodi itaq; iam dictas vias, haud difficile est eius-
modi tenuiores partes humorum transmeare, & ad iuncturas
ipsas deferri.

LXXXIII.

Quòd autem eiusmodi humorum tenuiores partes causam Ar-
thritidis statuamus, illud nos maximè mouet: Quod videlicet im-
possibile sit, alterius alicuius utpote vel crassioris vel etiam mes-
diocris substantiæ humores, quotiescunq; illi, præsertim verò à cas-
pite eiusq; exteriori parte in articulos profluunt (quemadmodum
reuera sæpenumero eos, imò cum Fernelio Medico nostra ætate
omnium

omnium celeberrimo & præceptore nostro obseruandissimo, inde suam originem ducere & profluere statuimus) per superius dictas intra cutem & musculos vias trans meare, vel etiam intra articularum compagem, membranas videlicet, tendones, & ligamenta, cavitatemque eorundem articularum sese insinuare, etiam si bilem vehiculi vice, quemadmodum video quibusdam placere, comitem habeant.

LXXXIII.

Illud præterea nos eo magis in nostra iam dicta opinione confirmat, quòd videlicet ut plerunq; sudoribus per *Zarzam* nimirum parillam vel decoctum ligni singulis annis semel bisue in anno provocatis, morbus vel ex toto vel maiore tamen ex parte diminuitur, & ne frequentiores habeat paroxismos impeditur. immò si redeant, longè tamen mitiores atq; clementiores euadunt: euacuatis scilicet illis tenuioribus vel pituitæ vel bilis, vel melancholiæ per eiusmodi sudorifera partibus.

LXXXV.

Imò in multis ex Diureticorum solo usu nò modò mitigatum, sed etiam ut longè & tardiores & rariores venirent huius morbi accessiones effectum fuit. nuper enim in quibusdã hoc morbo laborare & quidem frequentissimè solitis, ex solo usu potus ex baccis iuniperi, raphano marino & aqua confecti, atq; loco vini vel alius potulentæ materiæ per integrum annum usurpati, longè mitiorem & longè rariorem factum esse hunc morbum experti sumus, tenuioribus eiusmodi humorum partibus morbum concitantibus per eiusmodi potum Diureticum vnà cum vrina expurgatis. Affirmant enim, quibus in usu est eiusmodi medicata potio, sese longè copiosiores, quàm ante usum huius medicamenti, habere vrinas.

LXXXVI.

Quinimò Cauterijs in ipso paroxismo & ipsa parte affecta applicatis, cessasse vel saltem mitigatum fuisse dolorem in eiusmodi morbo experientiã habemus: educta videlicet in loco affecto,

quæ eò confluxerat, parte humoris: qui quidem substantia tenuissimus, colore verò aliàs flauus, aliàs albior existit. Nec impedit quòd ex eiusmodi applicatione cauteriorum dolorem excitari maioremq; reddi, fluxione noua per eiusmodi medicamenta concitata, quispiã possit nobis obijcere. Nam sunt & haberi possunt eiusmodi remedia, quæ hoc ipsum citra dolorem præstare possunt. Et si fortè quid nouæ materiei attrahunt, illa tamen uesica aperta vel ulcere factò unà cum illa alia, quæ in articulo continetur, elicitur, atq; ita dolor, sublata maiore parte causæ morbificæ sedatur.

LXXXVII.

Fonticuli præterea extra paroxysmum adhibiti, per quos tenuissimus solummodo quidam liquor, isq; aliàs flauus, aliàs albus profluit, nonne obsecro sæpenumero morbum mitiorem faciunt? sæpenumerò etiam ex toto nonnè curant? uel saltem ut per longiora interualla nec tam frequens redeat morbus nonne impediunt, si modò obseruata fuerit idonea & conueniens uictus ratio?

LXXXVIII.

Hæ sunt igitur rationes hæq; causæ, quibus permoti opinamur, eiusmodi tenuiores humorum partes esse reuera huius morbi causas, aliàs κατ' ἐπίρρ' οὐν, hoc est, per influxum, aliàs uerò κατ' ἀποσπ' οὐν per exonerationem siue expulsionem in articulorum compagem delatas. quæ cum sua natura sint valde tenues, facile sese in articulorum cavitatem, membranas, tendones & ligamenta cuniculis quibusdam insinuant, ibiq; impacti & quasi infixi consistentes, cruciatus eiusmodi immanissimos excitant: temporisq; successu, si non integre sub declinationem morbi dissoluantur & p' insensibilem transpirationem digerantur, vel idoneis medicamentis adhibitis omnino consumantur, licet p' se tenues sint, ita tamè interdū crassescunt, ut in Tophaceâ etiã siue callosam materiã trans eant & coalescant, ossaq; suo loco dimoueant, & proprijs acetabulis dislocent varièq; intorqueant: ita ut sæpenūero manus ac pedis naturalem

naturalem fabricam (quemadmodū superius dictum fuit) magna cum partis turpitudine immutent ac evertant, ipsamq; cutim dirumpant & dilacerent.

LXXXIX.

Post relatas huiusmodi morbi causas, sequitur nunc ut etiam de eius Signis aliquid dicamus. quorū quidem alia sunt Παθογνωμονικά, quæ ipsam per se affectionem arguunt: alia verò Αἰτιογνωμονικά, originem & causas eiusdem indicantia siue aperiencia, humoris nimirum vel originem vel qualitatem: alia deniq; Προγνωστικά, quæ finem morbi concernunt, è quibus facilem vel difficilem morbum arguimus.

XC.

Ex Pathognomōicis ergo signis sunt dolores in articulis omnibus, si uniuersarum iuncturarum fuerit morbus: vel saltem in quibusdam, ut pote vel in manus si Chiragra, vel pedis si Podagra fuerit, immanissimi atq; acerbissimi: qui ubi primo incipit morbus, vel in pollice vel in aliquo digitorum manus, vel cauo pedis, aliàs cum rubedine & feruore partis vehementissimo, aliàs vero propè sese nullo prodūt. accidit enim sæpenumero, præsertim verò sub initium morbi, Colorē partis nullo modo, vel perparū solummodo mutari: sed qualis fuit tempore sanitatis, is etiā manet sub primo morbi insultu & circa paroxysmi initium. Hinc temporis successu color partis immutatur, ac vnà cum tumore rubor succedit & feruor maximus locum affectum insigniter excrucians.

XCI.

Sæpenumero fit, ut dolor alicuius vnus membri articulum occupans, in ea sola nunquam remaneat (nisi fortassis dum omnium primò siue prima accessione incipit affligere) sed ex vno articulo in alium commigret, nec prius desinat, quam uniuersi corporis

E

articulos ferocitate & immanitate sua depopulatus fuerit. Apud itaq; pollice & cauo vel aliquo alio articulo incipiēs ad manū iuncturas progreditur: his immani dolore excruciat, cubiti flexionem pari immanitate adoritur: hac ipsa parte æquē dolore defatigata, articulum coxendicis, vel genuum compagem inuadit: donec tandem dorsi, thoracis, ceruicis, ossis coccygis nexus, & aliarum partium articulationes motu manifesto carentes, ut capitū suturas, ac tandem nares, aures, & labia pari crudelitate conficiet, ipsumq; ægrum sæpe repetitis accessionibus iugulet ac interficiat.

XCII.

Tanta est autem huius mali crudelitas, vt per quam difficilissima & non nisi cum dolore acerrimo, fieri possit ipsius membri flexio atq; extensio, etiam in motu quam leuissimo: nec unquam vel saltem rarissimè hominem immanissimis cruciatibus & doloribus torquere excruciareue desinit: nec eum antè è medio tollit, nisi prius ipsam compagem & nexum ossium, tumoris quadam turpi specie, membri naturalem conformationem euertat, & ad motum ineptissimam reddat, contortis & in obliquum euersis ipsius membri particulis. Hinc in alijs digitos tam manus quàm pedis, inflexos supinatosq; in alijs verò vicinis incuruè affixos incumbere sæpenūero conspiciamus. Nonnunquam etiā, imò quàm sæpissimè dolentes artus ac membra, nutrimento commodo destituta, ita emarcescunt & arida fiunt: vt calore natiuo & humido radicali absumpto, languida planè euadant, & ita unà cum homine consumpta intereant ac emoriantur.

XCIII.

Ἀπὸ γυναικῶν signa ea superius esse diximus, quæ originem & causas huius morbi, humorisque qualitatem demonstrant. Quotiescunque igitur caput huius atrocis mali origo & principium fuerit, ab eoque humores morbum facientes defluerint ægrī
plerunq;

plerunq; capite & ceruice ac spatulis se dolore sentiūt, Catarrhisq;
& distillationibus subinde se uexari, ac humorū è capite per cer-
uicem cum horrore vel saltem leui aliquo frigore, titillatione, ac
pruritu defluxum se sentire conqueruntur. Dolores præterea &
tumores in partibus affectis non subito & ἀδρῶς sed paulatim
fiunt ac augentur: præterea qui ab hac corporis parte profluit hu-
mor tenuis, non sanguineus nec cuiusquam alterius speciei, sed pi-
tuitosus maxima ex parte existit.

XCIIII.

At si vel ab Hepate vel ab alijs corporis partibus, per venas ad
articulos defluerit, morboq; occasionem dederit eiusmodi tenuis
humor, omnia quidem supra enumerata aberunt symptomata:
sed interea tamen, quicunq; laborant articuli, derepente dolebunt,
ac cum tumore protinus magno erubescet locus affectus: Feбри-
cula quoq;, sed non usq; adeo magna cum quadam inæqualitate
simul aderit: Dolor præterea simul multus eodem tempore occu-
pabit partes: venæ tumidae & rubicundæ, ab initio statim ipsius
morbi, in manibus, tibijs & supra pedes manifestò apparebunt.

XC V.

Qualitatem humoris ostendet tum doloris varietas, tum
cuiuslibet succi effectus Dolor itaq; tensiuus ac pulsans cum feruo-
re partis, tumore præterea notatu digno, duro ac rubicundo si ad-
fuerit, partemq; affectam occupauerit: Suppressio quoq; consuetæ
& solennis alicuius euacuationis sanguinis, vt Menstruorum,
Hæmorrhagiæ si præcesserit: Sanguinis Ichores tenuiores uè par-
tes in vitio esse morbiq; causam existere, manifestò indicat, præ-
sertim si habitus quoque corporis sanguineus, ætas iuuenilis &
sanguinis plena unà adfuerit.

XCVI.

Tenuior autē ac liquidior Bilis pars si eiusmodi morbo occasi-
onem præbuerit: Dolor, citra insignem distensionē aut gravitatē,
punctorius, lancinans ac deurens quasi cum vehementissimo ac ar-
dentissimo feruore, tertio quoque die exacerbationes suas habens,
agrūque vehementius affligens, aderi percipieturq; qui quidem
calidioribus exasperabitur, mitescet vero frigidioribus remedijs
applicatis. Cutis præterea color partis affectæ ex rubro fla-
uescens siue subpallidus ac rubens aderit: qui si digitis prematur,
semper rubicundior euadet. Tumor in loco affecto minus euidentis
est in hoc genere humoris morbifici. Urinæ subflauæ, tenues, cum
paucis contentis apparent. Pulsus veloces, frequentes, magni ac
vehementes. Vomitus biliosi, virides ac flauī cum amaritudine
insigni. Habitus præterea corporis vnā aderit biliosus & tan-
genti calidus. Aëris etiam & victus ratio præcedens & reliqua
omnia, quæ prouētum bilis in corpore redundare, indicare solent.

XCVII.

Quod si autem dolor quidem satis vehemēs adfuerit, sed haud
perpetuo sibi constans & similis, verū vno eodemque quasi tēpore
nunc vehementior ac sæuior, nunc verò mitior ac tolerabilior, sub
erepusculum nocturnumq; tempus plerunque excandescens acerbis
orūē in plures horas perseuerans, cum tumore non vsque adeo
excrecente & in altum eleuato, quiq; pressus digitis facile cedit:
Color præterea cutis subalbidus, nec multum à naturali differens
adsit: Corporis quoque totius grauitas & facies subtumida: de-
niq; etiam Ætas, tempus, Victus ratio, vitæ conditio ociosa & se-
dentaria his omnibus consentiens: Pulsus insuper parui rari &
tardi: Urinæ verò nunc tenues nunc crassæ, turbidæ, aliās verò
albæ & aquosæ si adfuerint, Pituitæ tenuiores particulas in vitio
esse & morbo occasionem præbuisse, indicant.

XCVIII.

XCVIII.

Quotiescūque verò fluxio ab *Atra bilis* tenuioribus partibus ichoribusue contigerit: dolor sanè nec tam acerbus nec vehemens aderit, & p̄ circuitus, quarto quoque die solummodo vehementior factus, exasperabitur, circa noctem ut plurimum molestans & exercens. Color quoque partis subliuidus, & cū tumore non multum magno ad nigrum vergens. Constitutio præterea corporis melancholica, hirsuta & nigra. *Vrina* crassa, nigra vel subfusca. Reliqua quoque succum melancholicum procreare nata, & melancholiæ dominium ostendentia aderunt.

XCIX.

Hæc igitur iam dicta signa diligentius non solummodo sunt consideranda: verum etiã memoriæ singula mandanda: ut si vsu veniat hunc affectum non à *lynceris*, quorum omnium iam signa tradimus, nasci humoribus, sed simul inuicem mixtis: eò melius in simplicium cognitione ante instructi & exercitati, iudicare possimus, quinam potissimum superet morbum fouens succus. Plurimum nanque interest nosse morbi causam, ad remedia rectè præscribenda, curandiq; rationem rectè instituendã, immò nihil (meo quidem iudicio) arthridem difficiliorem facit, quàm remediorum vsus non rectè & pro peccantis humoris ratione institutus.

C.

Restant nunc signa prognostica persequenda, quæ ipsius morbi finem concernere, & ex quibus solis arguere vnumquemque posse diximus, vtrum facilis vel difficilis curatio huius morbi sit futura. Primo itaque scire oportet, difficiliore esse curationes arthritici doloris, si confirmati fuerint, & consenescant ijs in quibus generati sunt. Difficilius etiam curationem admittunt in mulieribus & pueris, si eos articulari morbo affligi accidat.

C I.

Arthritis recens, legitima victus ratione, conuenienti & legitimo praesidiorum usu, demulceri ac profligari potest: plusque aedii & doloris, quam periculi obtinet: Nam si temperantia aegri adsit, & remedia conuenientia pro causarum ratione à Medico tempestiuè ac commodè fuerint applicata, imperatauè: absoluta proculdubio & perfecta curatio erit expectanda.

C II.

Inueteratus autem & hereditarius si fuerit hic morbus, & nodi articulos obsedère, & à vario humorum genere originem suam duxerit hic affectus: opportunis etiam & conuenientibus, commodoque tempore applicatis remedijs, vix expugnari profligariq; poterit.

C III.

Si quis praeterea Arthritidis species ad differentias omnes eiusq; causas tam efficientes quam materiales, partem praeterea emittentem probè nouerit, is sanè quoque absolutam curationem assequi poterit: dummodò prudens Medicus suum officium fecerit, & aeger in omnibus obsequentem & morigerum se praestiterit.

C IIII.

Quicumque senes sunt: aut circa articulos callos tophaceos concretos habent: aut laboriosam vitam degunt, siccam aluum habentes; hi omnes sani fieri non possunt humana arte.

C V.

Qui vero iuuenes sunt: & circa articulos nondum tophaceos callos concretos habent: & accuratè viuunt: & laborum amantes sunt,

sunt, & aluum bonam habent ad obediendum pro studiorum ratione: hi sanè medicum intelligentem nacti, sani fieri poterunt.

CVI.

Mulii per intemperantiam adeo nihil agunt, quo, quod vitiosum in corpore collectum est, corrigant: ut etiam magis ipsum accumulent, dum vitioso victu in ipsis festis utuntur. Quo fit ut alijs diuturni morbi incidant, ex quibus tota vita explicare se nequeunt: cuius generis mala sunt & Articularis morbus & Podagra.

CVII.

Podagra βιαϊολάτη, πολυχρονιάτη καὶ δυσάπαλλακτότατη, omnium arthritidum vehementissima, longissima, queque exoluatur omnium difficillimè. immò hæc species arthritidis adeò est diuturna, ut etiam ipsos ægros ad mortem usque comitetur, pravam præcipuè victus rationem observantes.

CVIII.

Senes ac viri morbo articulari plerunque magis sunt obnoxii, quàm iuvenes. In iuuenili tamen corpore dolor iuncturarum ortus, breuiorem fore vitam plerunque portendit.

CIX.

Mulier non laborat podagra, si nō menses ipsi defecerint. Hæc autem licet rarius quàm viri in hunc morbum incidant, difficilius tamen hoc vitio laborant. Quod enim neque vsitatum neq; familiare est: id si aliqua urgente causa potentius inuaserit, violentum cum sit, maiorem calamitatem infert.

CX.

Atroces sanè dolores arthritici sunt: sed dolores comitantia longè atrociora: defectus animæ: ad manuum contactū immobili-

E A

tas, ciborum auersatio, siuis, vigilia. Si discrimen euaserint tanquam ab inferis elapsi, laxiorem vitam degunt, incontinentes, simplices, hilares, & in victu molles ac delicati, idcirco verò tanquam mortem rursus subituri, licentio, è presenti vita fruuntur.

CXI.

A mala curatione, podagricis pleraq; mala accidunt: maxime verò calli & artuum durities & articulorum curuitates ac contractiones, propter medicorum ignorantiam fiunt. Multis in hydropem hic morbus concessit, quibusdam in asthma. Hæc verò successio immedicabilis atq; ineuitabilis est.

CXII.

Dolores podagricis verno tempore, quo potissimum profundū corporis expurgatur, vitiosis humoribus à partibus principalibus ad ignobiliores transmissis: & Autumno maxima ex parte fiunt, propter summam huius temporis inæqualitatem, vitiosisq; humoribus ex usu crudorum humorum coaceruatis, & ad easdem partes delapsis

CXIII.

Sequitur nunc huius affectus curandi ratio: ad quem priusquam descendamus, scire oportet, duplicem esse huius mali curationem: aliam quidem ipsius paroxysmi: aliam verò ipsius affectionis, à qua originem trahit ipse paroxysmus: (habet enim hic morbus suas quoq; accessiones more aliorum morborum, cuius generis est Epilepsia, Calculus & id genus alij) Illam priorem *δεγαπειλικήν*, hanc verò *πεοφυλακικήν* more consueto appellabimus: quamuis etiam una cum alijs præstantissimis Medicis, Arthritidis curatiōem eam vocare haud vsq; adeo multum referre existimamus, quam hoc loco nos *πεοφυλακικήν* nominamus.

CXIIII.

Quò igitur Curatio ipsius Paroxysmi rectè institui possit, Indicatio

dicatio omnium primò sumenda petendaue erit à morbo, tumore nimirum præter naturam, cui grauissimū adiunctum est symptoma, dolor videlicet sæuissimus ac immanissimus, ipsum ægrotum die nocteq, sine ulla intermissione exercens atq, ex crucians: de quo solo ac in primis ægroti conquerentes, eo potissimum se liberari exoptant. Morbus itaq, eiusmodi primo tollendus erit.

CXV.

Quia verò is submoueri nullo modo potest, nisi sublata & excisa, quæ ipsum effecit, causa: Ea ipsa igitur omnino remouenda extirpandaq, venit Medico. ita vt merito ab hac quoq, sumi debet at indicatio.

CXVI.

At quoniam omnis tumor aut est in fieri ac in principio, ipsaq, materia versatur in fluxu, ita vt magna eius copia ad partem affectam adhuc influat: Aut iam factus est, nec amplius ex humore morbum concitante aliquid effatu dignum ad ipsum locū laborantem defluet, idcirco diligenti opus est consideratione, verum causa, quæ eiusmodi affectum præter naturam concitauit, desierit, & in Arthritico eiusmodi dolore tumor adhuc fiat, an vero factus sit: & an ipsum nunc quoq, tum faciat tum augeat causa. Nam pro conditione eius rei, curatio Medico erit instituenda.

CXVII.

Esto autē adhuc fieri ipsum morbū, nec non etiā ipsius humoris in partem affectam influentis esse exiguam copiam: duo proculdubio nobis propofiti erunt curationis scopi: eius videlicet quod factum est, curatio: & quod futurum est, ne fiat prohibitio. Verum quia quod factum est & quod influxit curari tolliue non potest, nisi

F

eius quod fit & quod adhuc influit fiat prohibitio: idcirco ab eo omnium primo nobis inchoanda erit curandi ratio.

CXVIII.

Prohibebimus autem defluentem adhuc materiam ad partem affectam partim κενώσει, id est euacuatione, partim τῆ παροχεύσει deriuatione in alias partes: partim verò τῆ ἀντισπάσει id est retractione siue reuulsione fluentis humoris in partem contrariam & longè à loco affecto distantem. Quæ quidem omnia perfici poterunt per purgationem peccatis humoris: præmisso tamen, si opus sit, eiusmodi morbificæ materie præparatione, per venæ sectionem, præsertim si in vniuerso corpore fuerit plethora: per vomitum, enemata, frictions, ligaturas, diuretica: deniq; per repellentia foris applicata remedia. Intera tamen non neglecta conuenienti victus ratione, & alijs quæ vel mali causam fouere, vel fluxioni occasionem præbere queant: quæ quidem eiusmodi esse oportet, vt & morbo & causæ sint contraria.

CXIX.

Quoniam verò plerunq; ab initio morbi non vocantur medici: & si foriè vocatur, dolores ac cruciatus adeo sunt vehementes, vt his solis incumbi, hosq; remoueri vel saltem demulceri percipient exoptentq; homines: idcirco necesse est hac in parte non modo gratificari agris, sed etiam metu nouæ & maioris influxionis eiusmodi doloribus subuenire. Accidit enim sæpenumero, vt maior fiat humoris fluxio, ratione eiusmodi doloris & cruciatus. Leniri autem dolor poterit anodynis appellatis medicamentis: vt semine psyllij in aqua macerato & subacto, cumq; farina hordeacea mixto: luteo oui cum oleo rosaceo agitato: mica panis albi in lacte cocta: & alijs huius generis dolorem sedantibus remedijs.

CXX.

CXX.

Fluxa autem si sit materia & articulis impacta, concoquen-
tibus & discutientibus ea erit euacuanda, digerenda & discutienda.
Non enim satis est materia influxum prohibere: sed necessum est
etiam influxi & in articulis impacti humoris, ipsius deniq, tumo-
ris rationem habere.

CXXI.

Materia in loco affecto infarcta tumoreq, dissipato, tandem
pars & locus est corroborandus, ne videlicet in posterum nouam ins-
fluentem materiam recipere, vel saltem, quæ affluit, consumere
atq, dissipare valeat. Quod dum fit, vniuersi corporis & mittentis
partis magna cura est habenda, ne videlicet eiusmodi vitiosos &
arthritidem facientes humores progignere possit. quod quidem or-
nium primò conuenienti victus ratione & alijs infra dicendis
expediri perficiq, poterit.

CXXII.

Quantum ad cauteria, (cuius remedij penè obliti fuissimus)
quibus nonnulli etiam in vehementissimis articularum cruciatibus
pro sedatione doloris statim sub initium accessionis in ipso loco af-
fecto, magno cum fructu & doloris mitigatione vsi fuerunt, atti-
net: ea etsi fortè videbuntur dolorem non modò per se, sed etiam
ratione attractionis nouæ fluxionis, augere: tamen compertum est,
eiusmodi remedium sæpè profuisse, doloresq, acerbissimos, si non
penitus remouisse, plurimùm tamen sedasse.

CXXIII.

Neq, verò hoc ipsum videtur (meo quidè iudicio) (prorsus rati-
one carere. Nam per eiusmodi remedij gen^o, materia morbū & do-
lores faciens ex profundo loci affecti ad extra, tanquã à centro ad
circumferentiã attrahitur: & humori influenti via versus exterior

ra profluendi præparatur: vel si eam eò peruenire accidat, è loco confestim per vlcus educitur siue effluit, atque ita euidenter doloris locus euacuatur. Profluit enim è loco per eiusmodi cauterium exulcerato aquea quedam substantia, siue liquor quidam tenuissimus ac liquidissimus, aliàs colore flauo, aliàs verò albo, aliàs alio tinctus. Proinde vlcere aperto relicto, dolores pereiusmodi affluxum materiæ tolli, vel saltem mitiores reddi credibile est.

CXXIIII.

Quod ad genuinam & veram huius morbi curam attinet, quam alij Prophylacticen appellant, ea sanè omnium difficillima est: itaque eius generis, vt circa ipsam per plurimi in arte præstantissimi artifices diu multumq; insudauerint: omnemq; suam nauarint operam, quo pacto eiusmodi acerbi mali insultus recursusue impediri atque præcaueri possint. Quod tamen & longè difficillimum & quasi impossibile esse, hætenus compertum fuit, idq; plurimis & grauissimis de causis.

CXXV.

Nam si & partis mittentis & loci recipientis habeatur ratio: quotus quisque quæso est, qui à natura partes imbecilliores possidet, cui artis beneficio ita subueniri, atque à natura vel alio quouis modo debilitatæ partes ita firmari corroborariue possint, ne illæ in posterum aliquid excrementorum vel progenerare vel colligere, & aliunde propulsos excipere queant?

CXXVI.

Et si posse hoc fieri concederetur, quemadmodum quandoque quotidianus rei vsus hoc ipsum factum fuisse ostendit: quotus tamen quisq; est, qui tam exactè, tam moderatè circa victus rationem se gerat, tamq; sanctè præcepta Medicorum obseruet, præsertim

sertim verò in cibo & potu? qui non sæpius ac frequentissimè
impingat? Quis denique tot aëris & aliarum rerum incommodis
tates euitare atq; effugere potest?

CXXVII.

Ista igitur cum admodum sit difficile vitare: vel etiam si quid
in partibus deest vel superest, haud ita facile sit innouare: sane
haud ita facile quoque erit tali vitio laborantes ad pristinum va-
letudinis statum redigere: præsertim cum tales, quemadmodum
pulchrè annotauit Aretæus lib. 2. de signis & causis diurno-
rum morborum, si discrimen euaserint, tanquam ab inferis elapsi,
plerunque laxiorem vitam degant, incontinentes, simplices, hilares,
& in victu molles ac delicati: idcirco verò, tanquam mortem
rursus subituri, licentiosè præsentis vita fruuntur.

CXXVIII.

Hæc inquam etsi difficile sit euitare, non idcirco tamen spes
curandi tantum malum prorsus abijcienda, ipsaq; curatio penitus
negligenda relinquenda uè: sed potius hosti eiusmodi intrepidè ob-
uiam progrediendum, dandaq; opera, ut si non ex toto delere, sal-
tem vires eius atterere valeamus: vel ne tam facile reuertatur,
tamq; crudeliter tractare possit ægrum, toti in hoc sumus intenti.

CXXIX.

Hoc ipsum autem commodè præstari poterit, si & parti mitis-
senti: & alteri quoq; quæ huiusmodi morbum facientes humores
ratione sua imbecillatis excipere solet, prospexerimus: simulq; o-
mnes occasiones congerendi prognerandiq; eiusmodi arthritidis
materias præciderimus: vel huic soli saltem consuluerimus, si ale-
teri, quæ collecta propellere consuevit, nullo modo poterimus
subuenire.

CXXX.

Assequemur autem hoc ipsum proculdubio idonea victus ratione pro peccatis humoris calidioris vel frigidioris conditione & natura. Cibi itaq, boni & laudati succi, qui vitiosorum humorum nihil procreare solent, praescribendi: quique nervosas partes & articulos haud ita facile laedere sunt nati. abstinendum à carnibus potissimum difficilis coctionis, viscosis, crassis & putridum succum progenerantibus.

CXXXI.

Vinum, praesertim merum & generosum omnino fugiendum: neque ieiuno ventriculo, neque ab initio statim mensae bibendum, sed ubi bona pars cibi iam absumpta fuerit. Huius itaque loco aqua sacharata, vel ptisana ex hordeo, glycyrrhiza, velex sacharo, cinamomo in crassiores partes confracto, & aqua feruentissima superfusa: vel cereuisia aliqua tenuis & diuretica, defaecata, aegroto loco potus praescribenda: vel potus ex aqua fontana, baccis iuniperi, & raphano marino confectus aegro erit usurpandus: habita tamen semper in vini prohibitione, consuetudinis, naturae, & virium ratione.

CXXXII.

Aëris excessus omnes cauendi, praesertim verò frigidior cœli cōditio. Exercitia sint moderata, loco & tempore conuenienti facta. Animi quoque pathemata vitanda, imprimis vero excaescentia, ira & furor. Rei venerae vsus nimius & intempestiue factus, tanquam pestis in hoc genere vitij est fugiendus: nihil enim aequè arthriticis incommodat, quàm crebrior frequentiorue & intempestiue veneris vsus.

CXXXIII.

Corpus quoq, purgandum erit medicamentis lenioribus & interuallis

seruallis saepenumero repetitis, & pro euacuandorum humorum
conditione praescriptis in forma pillularum vel tabellarum vel po-
tionis: pro cuiusq; aegrotantis libitu et voluntate. quamuis forma
pillularum longe alijs utilior in hoc genere affectus. Hinc insti-
tuto conuenient rhabarbarum, agaricum, mechoaca: Syrup. ros-
satus laxatiuus compositus: Syrupus diasereos, Syrupus diacar-
thami, Syrupus è spina ceruina: manna: infusio myrobalanorum:
Sacculi ex rhabarbaro vel mechoaca, vel alijs medicamentis pro
materia peccante & aegri conditione confecti,

CXXXIII.

Vomitus, si modò aeger facilis sit ad vomendum, singulis
quoq; mensibus prouocandus, praesertim si ventriculus fiat fluxio-
nis principium. Fiet enim hac ratione non modo materiae peccan-
tis diuersio: sed eiusdem quoq; conueniens euacuatio. Praestari autè
hoc ipsum poterit Oximelle simplici vel composito, raphani decoz-
to, Genistae vel Agarici non trochiscati puluere in iusculo aliquo
pinguiori exhibito.

CXXXV.

Excretiones quoq; consuetae suppressae vel quouis modo cohibi-
tae omni studio & perseueranter erunt reuocandae: nisi plus ex his
quam ex Arthritide mali metuere cogamur.

CXXXVI.

Neq; etiam intermittenda erit venae sectio, in corporibus praes-
sertim plethora laborantibus, idq; vere ineunte. Nam hoc genus
remedij inter initia statim factum saepe annuam, nonnuquam per-
petuam valetudinem aegris praestitisse, testatum facit Cornelius
Celsus lib: 4. de re medica cap. 24.

CXXXVII.

Purgatione tam vniuersali quam particulari praemissa, humores

F 4

quoq; qui in habitu sunt corporis per sudores educendi. Sudorife-
ra enim medicamenta per euaporationem resoluendo prosunt, &
humores tenuiores euacuant. Ex plurimis autem huiusmodi re-
medijs potissimum vniceq; commendatur ligni Guaiaci, cui in-
cocta sit lva siue Stoechas citrina, vt etiam horum ope vis ipsius
medicamenti ad articulos deducatur: Deinde etiam Zarzæ Pa-
rillæ, adiuncta parte ligni Guaiaci, decoctum. nam hoc remedio
nihil habetur præstantius nihilq; vtilius, non enim solummodo
sanguinem vniuersum immutat & qualitatibus suis imbuat: sed
etiam cerebrum & alias partes mittentes alterat, & eorum intem-
periem corrigit, vel etiam penitus immutat: & materias exic-
cando in habitumq; conuertendo articulos cæterasq; omnes corpo-
ris partes robustiores reddit.

CXXXVIII.

Cauteriorum præterea Fonticulorum appellatorũ vsus a-
pud plerasq; nationes est frequentissimus: præsertim vbi non vsq;
adeò multum fuit profectum superioribus remedijs. verum vt lon-
gè maior apud eas victus rationis est obseruantia, & temperan-
tiæ cultus: ita etiam plurimum ipsis profuisse eiusmodi applicata
remedia, experientia ipsa testatur. Nostrorum verò hominum
quia tanta est ingluuiei rabies & intemperantia, Rerumq; non na-
turalium appellatarum summus contemptus: & ferè perpetuo cor-
pora nostra præ humorum copia quasi diffluant: idcirco per exi-
guum vel ferè nullum hætenus apud nostrates ex tam salutari
medicamento compertum fuit commodum, etiamsi per aliquot an-
nos atq; totam vitam fonticuli eiusmodi aperti teneantur.

CXXXIX.

Satius itaq; est, eiusmodi cauterijs dimissis, ne diffamari tam
salutaria remedia possint, non modò ad superiora, sed etiam quæ
sequuntur

Sequuntur remedia confugere: quæ non modo superuacuos eiusmodi humores euacuare, sed etiam eorundem reliquias consumere & absorbere, partemq; ipsam tam propellentem mittentemue, quam recipientem corroborare possint. Ex horum genere sunt Theriaca & mythridatij compositio, confectio omnium ferè excellentissima Alkermes appellata: Diacorallum, quo nihil ferè præstantius ad inuentum fuisse scribitur. Deniq; alia à præstantissimis medicis passim conscripta & summo studio composita.

CXL.

Ex horum quoq; numero esse volunt antidotum illud ex centauro confectum: quod Aëtius adeò salutare prædicat, vt, per annos quindecim podagra oppressos, asserat huius remedij vsu sic restitutos, vt suis iterum pedibus incedere potuerint. id quod etiã annotauit venerandus noster præceptor & de arte medica optimè meritus Thomas Erastus piæ memoriæ: qui inter cætera arthriticis dis longo vsu à præstantissimis medicis comprobata antidota, etiã pulueris cuiusdam, quem Iouis puluerè appellant, meminit. Huic instituto etiam conuenire poterūt conserua florum primulæ veris, veronicæ, saluicæ, rosmarini: vel horum etiam & similibus olea chymica arte extracta, & in tabellas concinnata. Tabellæ præter ea diambrae, diamoschi, diatrionsantaloni: myrobalani chebulæ & citrinæ: acorus conditus: & alia præstantissima remedia.

CXLI.

Diuretica verò medicamenta etsi videntur quibusdam suspecta: docet tamen quotidianus rerum vsus, ea hoc affectu laborantibus plurimum profuisse. Poterūt itaq; (nostro quidem iudicio) absq; vllius periculi metu, ea præsertim quæ sunt minus vehemētia, optimo cum fructu ægri administrari: etiamsi podagrici & arthritici vt plerunq; sint calculosi. Nam plus commodi quàm incommodi ex ipsorum vsu omnino expectandum, præpurgado præ-

fertim agrotantis corpore. Hinc vsui optime conueniēt terebintina Cypria vel etiam Veneta appellata. nam præter hoc quod corroboret & euacuat, etiā insigni vi est prædita, omnis generis materias vnā cum urinis educendi.

CXLII.

Huic eidem proposito multū quoq; conferet acidularū vsus, modò cum iudicio fuerint agrotātibus præscriptæ: & conuenienti tempore & loco, in certis quoq; hominum temperaturis, & ab ijs qui temperanter viuunt & victus rationem habent, fuerint usurpata. Conueniunt enim maximè, non solum modò urinas ducendo, sed etiam sudores mouēdo, & humorum colluuiem e corpore per aluū euacuando.

CXLIII.

Friktionibus præterea partium, matutino tempore, pannis durioribus ad hoc adhibitis utendum. His enim insitus calor excitabitur, vegetiorq; factus augebitur: quod præter naturam in partibus continetur dissipabitur discutietur uē: excrementa in habitu corporis absumentur: affecta deniq; membra robustiora firmioraq; reddentur, minusq; doloribus fient obnoxia. Poterunt autem fieri in capite, brachijs, ruribus ac pedibus.

CXLIIII.

Partes affectas imbecilioresq; corroborabimus exiccantibus & astringentibus. Quod si verò aliqua est suspicio, in articulis adhuc aliquid superesse vel contineri materiae vitiosæ: illud omne discutientibus & exiccantibus erit absumentum: & simul partis imbecilitas corroboranda. Eiusmodi instituto perbellè conueniēt balnea, nō modò arte confecta, sed etiā naturalia vulgo appellata.

CXLV.

Ex naturalibus omnium maximè conferēt aluminosa, sulphurea &

rea & salnitri continentia. artificialia verò ex Betonica, Ver-
bena, Erica, Pinastris fructibus, Quercuū folijs, & alijs conueni-
tibus medicamentis confecta.

CXLVI.

Quandoquidem vero successu tandem temporis eiusmodi
iam dictæ Arthritidis materiæ in Tophos seu nodosa tubercula
aut nodos abire consueuerunt: atq; tum temporis longè difficilli-
mum sit egro auxiliares manus adferre, iuxta illud antiquum
Horatij,


Tollere nodosam nescit Medicina podagram:
tamen quia in eiusmodi quoq; casu, à Medicis ægri auxilium im-
plorant, poterit etiam eorum curatio factò præjagio tentari.


CXLVII.

Quotiescunq; igitur eiusmodi durities siue Tophi in parte fu-
erint, humores infarcti & in eiusmodi crassitiem congelati omni-
um primò sunt considerandi, & pro ratione materiei remedia erunt
applicanda. Conferentur utem plurimum medicamenta emolli-
entia appellata, calefaciendi & humectandi facultate prædita,
quæq; materiam impactam fundere & liquefacere possunt. Ex ijs
autem talia præscribi debent, quæ mediocriter hoc ipsum, præser-
tim calidiore existente materia, perficere possint. Quorum mas-
gna habetur copia apud Medicæ rei scriptores. Ex hisce igitur
præsertim verò ex Ambrosio Paræo præceptore nostro obseruân-
do ea erunt petenda, & in usum practicum transferenda.

F I N I S







Farbkarte #13

B.I.G.



18



MEDICAE

V M H V M A =
NATVRA EO =

ione: atq; affectu gra=
ritide appellato:

lyta Academia Ar=
tensium

A. M. 1286a

EBIZIO SILESIO,
n Academia Professore, ac
oliatro:

UDO TVEBITVR DO=
nes Sebaldus Kobenhaupt
osophia M. & Medicina
didatus.

ouemb: Anno Domini
8 9.

NTINÆ

Carolus Kieffer.

